

B. N. C.  
FIRENZE  
1089

4



1089-4

345.

H

APHTHONII SOPHISTAE PRO-  
GYMNASMATA RHETORICA,  
RODOLPHO AGRICOLA  
PHRISIO INTER-  
PRETE.



PARISIIS,  
*Apud Ioannem Lodoicum Tiletanum ex  
aduerso Collegij Remensis.*

1 5 4 5.



## LECTORI.

Habes optime lector exercitationis modos quatuordecim ad parandam orationis facultatem, ad augendamque item eloquentiam cum primis necessarios: ut quos & primos habuit, & diu solos, prima Rhetorices institutio. In quibus si te diligenter exerceas, nimirum comperies nihil esse quod ad vlla dicendi præexercitamenta pertineat, quod in hisce non sit traditum, discussum, & absolutum. Fruere lector, & faue.

### CENSURA IN APHTHONII

*Progymnasmatum elenchorum.*

|                               |   |   |   |
|-------------------------------|---|---|---|
| Deliberatiui<br>sunt generis  | } | Fabula<br>Historia<br>Chria siue vtilitas<br>Sententia<br>Thesis. | Fabula quidem non multū<br>indiget exercitatione. |
| Iudicialis<br>sunt generis    | } | Comprobatio<br>Improbatio<br>Locus communis.                      |   |
| Demonstratiui<br>sunt generis | } | Laus<br>Vituperatio<br>Imitatio<br>Comparatio.                    |   |

APHTHONII SOPHISTAE PROGY-

mna smata, Rodolpho Agricola Phrisio interprete.

Fabula. I.

F

Abula initio poetarum fuit. Postea verò, quòd erudiendis pueris apta erat, à rhetoribus est etiam vsurpata. Est autem fabula, oratio falsa similitudinem exprimens veritatis: dictaque Sybaritica & Cilix & Cypria, ex inuètoribus nomen permutans. Euicit tamen vt magis Aesopica vocaretur, quòd omnium optimas Aesopus fabulas conscripsit. Et sunt fabularum alie quidem rationales, morales alie, alie mixtae. Rationales sunt, quibus aliquid facientem hominem effingimus. Morales, quae ratione carentium morem imitantur. Mixta est, in qua vtrunque, rationale & irrationale iunguntur. Id autem cuius vel docendi causa vel admonendi fabularum recensetur, si praeponas, *πρὸ μύθου*, id est (vt ita dixerim) praefabulare: si subijcias fabulae, *ἐπιμύθου*, id est subfabulare appellatur. Exemplum. Media feruebat aestas, atque lato inter arbusta cicadae carmine strepebant: laborabant verò formicae, colligebantque frumentum, quo futurae hyemis inopiam tolerarent. Veniente deinde hyeme, formicae laboribus suis pascebantur, cicadis verò ignaua illa voluptas est versa in famem. Hoc pacto ij qui in iuuenta defugiunt laborem, in senecta egestate tabescunt.

Fabulae diuisione.

Praefabulare. Subfabulare.

Narratio. II.

Narratio est rei factae vel tanquam factae expositio. Diuiditur autem in poeticam, historicam, & ciuilem. Poetica est quae habet expositionem fictam. Historica, quae vetustam

Diuisio narrationis.

A ij

## APHTHONII SOPHISTAE

rerum commemorationem . Ciuilis est , qua rethores vtuntur in causis . Insunt autem narrationi sex, Persona faciens, res facta, tempus circa quod, locus in quo , modus quo pacto, causa propter quam. Quatuor vero sunt virtutes ipsius, perspicuitas, breuitas, probabilitas, & verborum proprietas . Exemplum. Si quisquam est qui Rosæ decorem miratur, is animo mihi Veneris reputet vulnus . Amabat enim dea Adonidē, contra Mars ipse Deam amabat : pari que dea Adonidis amore, quo Mars Veneris, tenebatur . Flagrabat dea desiderio deus: dea sequebatur hominem. Similis utrorumque ardor, tamen si natura inter se vt dii hominūq; differrent. Inuidens Mars Adonidi, perimere ipsum decreuit, vnicum abolendi amoris remedium mortem ipsius arbitratus. Percusso demum Adonide, quum rem dea accepisset, vt succurreret festinabat: raptōque properanter inter rosaria cursu, spinis incidit, calcemque pedis perstrinxit. defluens autem ex vulnere sanguis, Rosæ colore in nouam faciem mutauit: sicque Rosa quæ initio fuerat alba, in hunc quo nunc aspicitur transit colorem.

Chria siue vsus.

III.

Chria, id est vsus, est ex persona alicuius dicti factiue breuis commemoratio. Vocata vero est vsus, quod utilis in primis sit . Est autē vsuū alius rationalis, actiuus alius, alius mixtus. Rationalis est qui oratione sola vtile aliquid demonstrat: quale est: Plato inquit virtutis ramos sudore & laboribus enasci. Actiuus, qui factum solū aliquod recenset: vt, Pythagoras interrogatus quanta esset hominū vita, parumper videndum se præbens, subito abscondit, vitæ humanæ mensuram cōspectus breuitate indicans . Mixtus est , qui ex utroque & oratione & facto constat. quale est Diogenis illud , qui quum vidisset

adoleſcentulum immodestius agentem, pædagogum verberavit, ſubiiciens: Quid ita talia doces? Hæc vero diuiſio eſt uſus: diſpones autem ipſum his capitibus: Laudabis primum perſonam, deinde explicabis uſum: poſtea confirmabis, primum cauſa aliqua, hinc ex contrario, deinceps ſimilitudine, exemplo, teſtimonio veterum: poſtremo epilogo breui concludes.

Exemplum. Laudari iuſtum eſt propter egregiam doctrinam Iſocratem, qui nomen ipſis profecto ſtudijs clarifſimum dedit, quantâque viſ eſſet ipſoru, experiendo exercendoque oſtendit. Eò ſane gloriæ proceſſit, vt potius dediſſe nomen ſtudijs ſuis, quàm laudẽ ab ipſis accepiſſe videatur. Quibus autem vel reges admonens, vel inſtituens priuatos, bene de hominum meruit vita, longum eſſet recenſere. Verum quod de eruditione tradidit, haud ab re fuerit cõmemorare. Amator, inquit, eruditionis, à laboribus auſpicatur, ſed laboribus deſinentibus in utilitatem. Quod quam vere ab eo rectèque dictum ſit, vel hinc erit perſpicere. Amantes enim eruditionis à ducibus eruditionis conquiruntur primum: ad quos accedere, verſarique apud ipſos, vt formidoloſum eſt, ita relinquere ſtultiſſimum. Et pueri quidem nunquã metu vacant, & quum adſunt præceptores, & quum venturos expectant. Succedunt præceptoribus pædagogi, duri aſpectu: caſtigantes vero cædẽtesque, duriores. Itaq; & pœna ante metu ipſo eſt grauis, & metum grauius ſubſequitur experimentum: erratâq; omnia puerorum ſeueriſſime vindicantur: rectè facta vero velut ad ea demum nati ſint, exactiſſimè exiguntur. Iam vero pædagogis ipſis etiã patres ſunt moleſtiores, in deambulationes inquirentes, & vetantes egredi in publicum, forũque ipſum ſuſpectum habentes. Quod ſi animaduertere oportuerit, gra-

Encomium  
perſone.

uſus explicatio.

Primum confirmatã cauſa



APHTHONII SOPHISTAE

*nus, & velut naturæ ætatisq; obliterati fuerunt. Verum amen per ista, quum ad virilem ætatem perueniret puer, cumulat virtutibus. Qui vero veritus ista, fugerit magistros, deseruerit patres, pædagogos auerſetur, prorsus expertus eruditionis manebit: fugiēsque metum, simul cum ipso doctrinam relinquet. Hæc nimirum Isocrati animū induxerunt ut eruditionis acerbam vocaret radicem. Quemadmodum enim qui terram colunt, in ipsam multis ante laboribus subactam semina deiiciunt, fructus vero maiori comportant voluptate: sic qui ad studia accinguntur, multa cura sequentem demum gloriam comprehendunt. Aspice autem mihi Demosthenis vitam, qui oratorum omnium laboriosissimus, omnium quoque clarissimus euasit. Tætum enim illi studij superabat, ut comam natiuum capitis ornamentum detonderet, multo optimum ornamentum putans virtutem: & laboribus consumpsit, quæ ad voluptates reliqui profundunt. Idcirco præclare hoc (ut omnia) Hesiodus ait, asperam esse ad virtutem viam, cacumen vero molle: eandem certè quam Isocrates sententiam. Hesiodus enim viam vocauit, Isocrates autem dixit radicem: differentibus nominibus eandem vterque sententiam explicantes. Respicientes ergo ad ista, laudabimus meritò Isocratem, pulcherrimè hæc de eruditione tradentem.*

Sententia.

IIII.

*Sententiariū diuisio.* Sententia est oratio breui complexu aliquid quod ad hortandū dehortandūve pertinet, explicans. Sententiarum vero alia exhortans, alia dehortans, alia enuncians. Est itē alia simplex, alia cōposita. Præterea, alia probabilis est, alia vera, superlata alia. Exhortās sententia est, ut: Oportet hospitem præsentem amare, volentem vero mittere. Dehortans, ut:

*Turpe, quiete duces totas deperdere noctes.*

*Enunciatio, vt: Pecunijs opus est, sine quibus nihil eorum quae necessaria sunt, recte fiet. Simplex autem, vt:*

*Optimum id augurium est, patriam tutariet armis.*

*Composita, vt:*

*Multos esse malum reges, rex vicus esto.*

*Probabilis, vt:*

*Quales amicos quisque habet, talem scias.*

*Vera, vt: Expers malorum vita nulli contigit.*

*Superlata, vt: Infirmius nihil homine. Hoc ergo pacto sententia diuiditur. Tractabis verò ipsam eisdem capitibus, quae in vsu explicatione diximus. Laudabis primùm, deinde explicabis, tum confirmabis ex causa, ex cōtrario, similitudine, exemplo, testimonio veterum: demum breui epilogo concludes. Differt autem sententia ab vsu, eò quòd vsus persaepe actiuus est, sententia verò semper rationalis: deinde quòd vsus semper habet additam personam, sententia & sine persona effertur.*

*Theognis:*

*In mare fluctiuagum, ne te premat aspera egestas,*

*Desili, & à celsis corrue Cyrne iugis.*

*Exhortans  
sententia.*

*Exemplum. Indignum Theognidi visum est, Poeticam velut rem ineptam accusari. Itaque relictis fabularum commentis, ipse ad formandos mores, vitamque instituentem, ipsam traduxit. Quum videret enim poetas compositis fabulis velut praclaro aliquo inuento gaudentes, ipse satius duxit, quomodo recte viuatur, carmine complecti. Laudandus certe ob utrunq; *Laudat.*  
& ob metri gratiam, & quòd meliorum admonens, institutionis attulit fructum. Sed huius vt alia omnia, ita hoc in primis meritò quis laudauerit, quod de paupertate dixit. Et quid inquit? Vi-*

APHTHONII SOPHISTAE

- uens in paupertate, præcipitè mittere se, quò ipsam vitet, non dubitet: tanquã melius sit præmaturè vitam relinquere, quàm solem dedecoris sui habere testem. Dixit quidem ille hæc, quæ rectissimè ab eo dicta esse constabit, si quis verũ volet intueri. Degens enim in paupertate, quum adhuc minor natu est, nequit exerceri ad virtutè. vt verò ad virilè peruenit aetate, improbißima faciet. legatus enim pro patria, pecunia corrumperetur. concionaturus, quò spes lucri duxerit, co flectet orationem: ius verò dicturus, pro largiente pronuntiabit.
- Explicatio.**
- Confirmat ex causa.**
- Ex contrario** Vacui autem paupertatis curis, & pueri ad spem protinus honestissimam virtutis attolluntur: & viri facti cuncta splendide administrant, iam in pace sumptum edendis publice muneribus, faciendis que ludis præbentes, iam in bello impensas in toleranda militiae onera conferentes. At verò quemadmodum grauibus adstricti vinculis, quo minus liberum ipsis sit quod velint agere, vinculis prohibentur: sic in paupertate degentibus obstat quo minus exercere libertatem possint, ipsa paupertas. Irum vides, qui quum Ithacensium vnus esset, non tamen id iuris illi, quod reliquis ciuibus erat: verum tam molesta ei fuit paupertas, vt nomen quoque inopia permutarit. nam quum primùm Arneus vocaretur, Irus appellatus est, cognoménque ex professione accepit. Et quid oportet Irum dicere? Ipse qui Ithaca quoque potiebatur Vlysses, postquam domum rediès paupertatem simulabat, ipsius etiam sensit mala.
- Similitudine.**
- Exemplo.**
- Testimonio veterum.**
- Epilogo.**
- delusus enim, & ab ancillis inebriatus est. Ad eò etiam species est paupertatis molesta. Præclare ergo rectèque Euripides inquit, malum esse nihil habere, neque paupertatem nobilitate leuare. Quomodo ergo quis satis & pro dignitate laudabit Theognidem, talia tamque grauiter de paupertate monentè?

Destructio siue subuersio. V.

Destructio vel subuersio, quàm ἀνακωλύω Græci vocant, est proposita alicuius rei reprehensio. Subuertenda verò neque manifesta valde, neque prorsus incredibilia, sed ea quæ velut medicæ sunt conditionis. Oportet autem quum subuerrere aliquid voles, primum eos reprehendere qui dixerunt, deinde subiicere rei expositionem, postea ipsam subuerrere his partibus, obscuro videlicet, incredibili, impossibili, non coherentem, indecoro, inutili. Hoc autem præexercitamentum omnem propemodum vim artis in se complectitur. Exemplū.

Poetarum coarguere ineptiam, absurdum mihi videtur, quum vel ipsi fidem sibi detrahant, hisque maxime præter alia, quæ de dijs tam impudenter fabulantur. Prorsus enim superuacuum videtur, poetarum ullam nos habere rationem, qui deorum, quorum cura omnia gubernantur, nullam ipsi habent curam. Et graue quidem videretur, quisquis ab ipsis deorum in fabulam missus esset: Apollinem vero, quem artis suæ ducem videri volunt, impudentiæ suæ materiam esse, quis est qui æquo animo perpeti possit? Libet ergo audire qualia de Apolline et Daphne confingant. Daphne, inquiunt, ex terra Ladonæque fluuiio procreata est. Hanc ob egregiam stirpem, eximiumque oris decorem, Phæbus adamauit: cupiensque deus restinguere desiderium suum, aspernantem fugientemque sequutus est, sed comprehendere nequijt: verum terra mater, absumpta filia, florem eo quo puella nomine, pro ipsa exhibuit: ipsam vero in arbutum vertit: cuius rami propter desiderium puellæ in coronam Pythio Tripodi dicati sunt, flos vero in mercedem cessit diuinationis. Huiusmodi quidē sunt quæ illi fabulantur: quæ quàm sit in promptu confutare, hinc facile

Primum eos reprehendit qui dixerunt.

Deinde subiicit rei expositionem.

APHTHONII SOPHISTAE

Subuertit o b-  
seuro.  
Incredibili.

Impossibili.

liquebit. Daphne ex Ladone & terra procreata est. Quis oro-  
tā demēs, vt ex his quēquā nasci posse credat? Ipsa homo fuit:  
illi autem diuersa & suā vterq; habebant naturā. Quomodo  
vero Ladon terrae coniunctus est? an quōd aquis ipsā inūdat?  
Quin omnes ergo fluuij, terrae mariti dicātur, quū nullus ipsā  
nō aquis suis irriget? Quod si ex fluuio homo nata est, quid ni  
ex homine fluuium quoq; nasci posse credemus? Qui minus e-  
nim tales ex filijs poterunt gigni, quā ex qualibus ipsi prodie-  
runt? Iā quo pacto nuptias fluuij terraeq; nominant? Scētentiū  
enim cōiugiū est, terra autē fluuiusq; sensus sunt prorsus ex-  
pertes. Ipsa vero Daphne vtrū paternum secuta genus, inter  
fluuios numeranda est? an pater filiae homo putandus? Verū  
est, concedatur poetis nasci Daphnen ex terra & Ladone.  
Nata ergo puella, apud vtrū enutrita est? Vt demus enim na-  
sci ita potuisse, vt educaretur, fieri tamen nō potuit. Vbi enim  
versata est puella? Hercule apud eum qui genuit. Ecquis ergo  
hominū vitam in fluuio ducit? Obliuiscetur enim natura suae  
pater, citiusque submerget fluctibus, quā alet. Verū sub ter-  
ra apud matrem habitauit. Latebat ergo, nulliusq; aspectui in-  
oculto posita patebat. Cuius autē latebat decor, nullius ani-  
mum mouere desiderio potuit. Vis & hoc assentiamur poetis?  
Quomodo tandem amauit Deus, & impotenti affectu à na-  
tura sua degenerauit? Amor enim omnium quae humanas soli-  
citant mentes, molestissimus est. Impiū autem videtur, grauif-  
sima natura nostra dijs quoque attribuere. Nā si omni ex par-  
te nostris teneantur incommodis, qua in re mortalibus praesta-  
bunt? Nihil autem malorum esse quod non exeperiātur, certū  
erit, si amore (quod omnium pessimū est) torqueātur. Sed neq;  
diuina natura hanc aegritudinem capit, neq; credibile est Phoc

bum adamasse. Insequens vero puellam Phæbus, quomodo ab ea victus est cursu, Deus ab homine? Viri enim mulieribus præstat, & deū fœmina superauit? & quæ reliquis hominibus par esse non potest, ei deus cessisse credetur? Quamobrè autè fugientem puellâ mater excepit? An quia malas nuptias putauit? Quomodo ergo ipsa facta est mater? An vero bonas credidit? Cur ergo bonū id filia inuidit? Aut ergo mater nō fuit, aut malâ fuisse matrē constabit. Quid ita vero terra secū suis ipsa operibus dissensit, offendit quæ Phæbum filiam auferens, rursumque reddit a eiusdem nominis arbore ipsum oblectans? Non debebat gratificari illi, si offendere ipsum volebat. Quare demū deus arbore illa tripodas coronauit? Arbor enim desiderij fuit merces, diuinatio vero virtutis est indicium. Quomodo ergo Deus coniunxit ea quæ natura repugnant? Quid autè ita mortalis causa fuit: finis vero immortalis: Sed finis sit: neque enim plura de poetis dicam, ne ipsorum ineptiam longius insectando in eandem quam in illis reprehendo vanitatem videar incidisse.

Nō coherēte.

Inutili.

Epilogo.

Confirmatio siue asseueratio.

VI.

Catascuec, hoc est confirmatio vel asseueratio, est propositæ rei comprobatio. Asseueranda uero, quæ neque prorsus manifesta sunt, neque omnino fidem ut fieri possint, habet: sed quæ mediij quodammodo sunt generis. Oportet autem asseuerantem contrarijs uti eorū quibus destruentes utuntur. Primum enim laudet eū qui dixit quod asseuerandū est: deinde rē exponat: postea contrarijs eorū quæ diximus supra, cōprobet ipsam: pro obscuro quidem manifesto, pro incredibile probabili, & possibili pro impossibili, & coherēte pro repugnāte, & decente pro indecoro, & cōferente pro inutili. Sane hæc quoq;

B ij



APHTHONII SOPHISTAE

exercitatio omnem vim artis intra se complexa est. Exem-

Primū laudat  
eos qui dice-  
runt quod as-  
seuerādū est.  
Deinde rem  
exponit.

plum. Poetas quisquis vituperat, ipsas mihi vituperare  
Musas videtur. Si enim quaecunque canunt poetae, Musis in-  
stincti profundunt, quidni plane Musis bellū indicit, qui poe-  
tarum reprehendere conatur inuenta? Ego quidem quicquid  
poetae dicunt, maiorem in modū laudo: potissimum vero quod

Postea cōpro-  
bat manifesto

aiunt Daphnen à Phæbo esse amatam. Quid rogo tandem  
tam procul à fide abhorrens istud habet? Daphne inquit est  
terra nata est & Ladone. An hoc ergo tam prorsus incre-  
dibile? Nonne rebus omnibus aqua & terra sunt origo? Nonne

semina rerum omnium elementa præbent? Si vero quicquid gi-  
gnitur, procedit ex terra & aqua, nimirum Daphne eisdem  
orta est, quibus omnia, principijs, Ladone & terra, genita sci-  
licet inde, vnde cuncta procreatur. Superabat autem Daphne  
facie reliquas omnes. Rectè quidem. Quaecunque enim ex ter-  
ra se proferunt, primo velut nativo proprioque conspicua de-  
core, pulcherrima videntur. Multa enim imitatio decoris, pul-  
cherrimis quoque rebus tempore accedit: quæ vero nata pri-  
mum, videnda se præbent, ea veluti quæ nullum adhuc deco-  
ris sui damnum fecere, blandissime oculos nostros morantur.  
Rectè igitur Daphne forma præstabat, primum ex terra pro-

Probabili.

creata. Phæbus igitur quum decore superantē omnes videret,  
amore ipsius est captus. non iniuria. Quicquid enim in terris  
est, quo res vllæ sunt conspicuæ atq; admirandæ, id est omne à  
dijs ipsis tributū. Si vero bonorū omniū amabilis in primis est  
pulchritudo, quid mirum si iucundissimum deorum munus, deū  
quoq; habuit amatorē? Quæ enim dij donāt, ea desiderant om-  
nes. Conabatur autem amans deus desiderio suo mederi. sic

Possibili.

enim res habet: Virtutes non sine conatu maiore comparantur,

& labore opus est quisquis eas assequi velit. Hinc ergo con-  
 batur desiderans, nec tamen desiderans comprehendit. Ingens  
 enim est virtus, nec ad extremam ipsius metam quisquam po-  
 test peruenire. Aiunt igitur amare Phœbum, non terram scili-  
 cet nec deorum maiestatem vanis commentis debonestantes,  
 sed virtutis ostendentes naturã Norat enim persequens Phœ-  
 bus id quod sequebatur. Fugiente autem puella, mater ipsam  
 excepit. Cuncta enim quæcunque sunt mortalem sortita natu-  
 ram, qualis & ipsa fuerat Daphne, vnde orta sunt, eodem re-  
 uertuntur. idcirco in terram cecidit Daphne, ex terra progn-  
 ta. Accipiens autẽ puellam terra, pro ipsa reddidit arbus-  
 tum. Vtraque enim terra sunt opus: & in ipsam homines recondũ-  
 tur, & ex ipsa arbores nascuntur. Procratum autem arbu-  
 stum, Apollinis honori dicatum est. dii enim extra complexum  
 prouidentie suæ ne arbusta quidem reliquerunt. sed coronan-  
 tur enatis: & primitiæ prodeuntium è terris, ipsis sacrantur.  
 Sed & arbor diuinationis facta est merces. Conueniens &  
 hoc puto. Puellare enim nomen continentie tribuitur: & dare  
 responsa, ex continentia procedit. Quoniam enim voluptatum  
 expers puella est, virtutibus consecratur. Neque enim posset  
 capax futurorum esse, fœdis contaminatum voluptatibus pe-  
 ctus. Propter hæc ergo poetas ego admiror & laudo, ipsũ-  
 que veneror carmen.

Coherente.

Decente.

conferente.

Epilogo.

## Locus communis.

## VII.

Communis locus est oratio, bona aut mala quæ alicui in-  
 sunt, augmentans. Dictus autem est communis, quoniam com-  
 munitè omnibus eis couenit, quibus ea res de qua agitur, in-  
 est. Oratio enim in proditorem, omnibus in commune prodi-  
 tioni obnoxij aptatur. Videtur autem velut secunda oratio-



APHTHONII SOPHISTAE

ni & conclusioni similis : ideoque proœmium communis locus non habet. Fingimus autem aliquid proœmij simile , exercendorum iuniorum causa : positioque eo subijcies primum caput ex contrario: hinc rei expositionem: non quidem tanquam doceas (nota enim res est) sed ut exasperes. Post hæc afferes comparisonem, qua ex collatione id de quo agitur , in maius extollas. hinc sententiam vel mentē , caput videlicet quod ita vocatur, exprobrans facti intentionem: deinde digressione coniecturali antecedentem vitam in criminum suspicionem deuocabis: post id velut misericordiae occurrendum est: tum velut postremis exercitanti huius locis, legitimo, iusto, utili, possibili, honesto, euenturo concludendum. Exemplum. Quemadmodum legibus constitutum est, ipsaque apud nos iudicia cœsuerunt, pendat legibus pœnas is , cuius scelere nec leges fuerant amplius permāsura. Quod si praesenti absolutus iudicio, æquabiliorem populo sese foret præbiturus, esset fortè quod quis illi remitteret pœnam. Quum vero elapsus in praesentia, sit longè violentior futurus, iniustum certè fuerit futura tyrannidis initium praesenti delicto condonari. In reliquis autem fortasse non magnum iudicum periculum fuerit, si quauis nocentem impunitum patiantur elabi. Tyrannidis vero affectata si absoluat, certum est ad iudices præcipuum pertinere discrimen, quos cum ipsis iudicijs sublatum iri cōstat potiente rerum tyranno. Videmini autem mihi iudices in eius solum quod in praesentia est, contemplatione mentē habere defixam, virtutis scueritatisque maiorum nostrorum obliti: quorum iustius erat reputare animoque proponere sententiam, qui nobis velum maximum incomparabileque munus rempublicam omni dominatione solutam reliquerunt. Optimè quidem illi at-

Primum proœmium.

Proœmium posterius.

Ex contrario.

que rectissimè. Quando enim fortuna ipsa varietate sua inconstantem se diuersamque hominibus præbet, proinde mentes quoque hominum ad recte secusque agendum multiplici flexu trahuntur. Hinc inæqualitati fortunæ, legum æqualitatem opposuerunt, institueruntque; Rēpublicam velut vnā ciuium omnium sententiam facientes, vt fortunam nunc prementem res cuiusque, nunc extollentem, legum constantia æquaret. Cuius iste aut immemor, aut contemptor potius, scelestissimo secum consilio instituit, vt Rēpublicam deleteret, taliæque secum differebat: Quorsum hoc ergo per deos immortalis? supra omnes positus, omnibus me patiar æquari? Frustræque permitto cumulare opes mihi fortunam, si eadem quæ reliqui faciam, eadem feram: & collecti pauperes iudicant quod pauperibus videtur. Lex est, mihi que præfertur. quousque ergo hæc? aut quis erit his modus? Occupabo arcem, & pessime periturus longè abigam leges, eroque reliquis ego lex potius, quàm reliqui mihi. Hæc secum ipse cogitabat: nondum vero votorum suorum finem assequutus est: obstitit enim beneuolentia deorum. Quid ergo? non iniquissimum est, si propter ea quæ frustra conatus est, summam dijs gratiam debemus; propter eadem hæc hunc hodie conseruari? Sceleratus est homicida, sceleratior tamen multo tyrannus. Ille enim vnus, quisquis is fuerit, perimit: hic vero totas conuelit ciuitatis fortunas. Quāto ergo minus est parum offendere, quàm occidere omnes: tanto contra eo qui hominem occidit, grauior est tyrānus. In alijs autē reis euenit plerūque, vt tamen si grauissima admiserint, mentem eximant delicto, animoque defendantur. Solus autem tyrannus fiduciam non habet, vt inuitum se dicere queat tantum scelus suscepisse. Nan

Expositio rei

Comparatio.

Sententia vel mens expromens facti intentionem.

APHTHONII SOPHISTAE

quæ si inuitus tyrannidem aggredieretur, esset fortasse ratio aliqua huius ipsum conatus ad soluere. Verum quum ante at-  
tētatam rem, multum secum diuq; deliberauerit, quomodo ius-  
tum cuiquam videbitur culpa carere ipsum, qui ante opera  
mente quoque factus est tyrannus? Alij ergo quicumque in ius-  
vocantur, praesentis solum criminis rationem reposcuntur: &  
propter prioris vitæ rectè facta, plerūque praesentibus igno-  
scitur. Solus vero iste vtriusque temporis iudiciū subeat oportet.  
Liquet enim immoderata praeterita tulisse ipsum, quibus  
ad tantum flagitij peruenit: & praesentia certè praeteritis lon-  
gè sunt molestiora. Itaq; vtrorumque det poenas, & eorū quæ  
antè, & eorū quæ praesenti sceleris conatu deliquit. Libet au-  
tem videre, cuius preces praesenti ipsum discrimini sint exem-  
ptura. Liberi nempe? Verum quum supplicātes vobis flentēs-  
que illos videbitis, putare assistere vobis leges, quarum vos re-  
spectu moueri multo rectius est, quàm liberorum ipsius. Illos  
enim sperata dominationis fuerat relicturus hæredes: leges  
vero quòd iudicandi decernendique de ipso potestatem habe-  
tis, praestant. Itaque per quas quod iudices estis, vobis datur,  
pro eis iustius fuerit vos sententiam ferre. Si enim rectè leges  
iubent eos qui patriam liberant, honoribus prosequendos esse:  
relinquitur necessario, vt qui in seruitutem deducere ipsā  
conātur, puniatis. Iustum autem est, vt tantum vobis det poe-  
narum, quantum ipse sceleris admisit. Proderitque corrūēs  
tyrannus: statum enim legum confirmabit. Expeditum autem  
de ipso sumere supplicium. Neque enim quemadmodum ipse  
ad asserendam tyrannidem satellitibus, ita vos ad depellen-  
dum ipsum auxilijs opus habetis: sed sufficiet iudices sola ve-  
stra sententia, cuius quum à republica ius potestatemq; accepe-

Digressiō =  
icūralis.

Misericordia  
occurfus.

Legitimum.

Iustum.  
Vtile.  
Possibile.

ritis, pulcherrimum quoque erit pro Reipublica salute ipsam <sup>Honestum.</sup>  
 experiri: faciliq̄ue cognitione totam hanc presentem tyranni- <sup>Eventurum.</sup>  
 dis potestatem auferetis.

Laus.

VIII.

Laus est oratio, bona alicuius enumerans. Laudandæ verd  
 sunt personæ, res, tempora, loci, ratione carentia animalia, &  
 plantæ. Personæ, vt Thucydides, aut Demosthenes: res, vt iu-  
 stitia aut temperantia: tempora, vt ver, æstas: loci, vt portus,  
 horti: bruta animalia, vt equus, bos: plantæ, vt vites, olea. Lau-  
 damus vero & communiter, & singulatim. Cõmuniter, vt o-  
 mnes simul Athenienses: priuatim, vt Atheniensem vnum ali-  
 quem. Hæc vero diuisio est laudis. <sup>Diuisio lau-</sup>  
 pacto: primum proæmium pro qualitate rei pones. Inde sub-  
 iicies genus, quod diuiditur in gentem, patriam, maiores &  
 patres. Post id educationem explicabis, quæ institutione, arte  
 & legibus continetur. Hinc præcipuum laudum omnium ca-  
 put subdes, res gestas: quas diuides in ea quæ sunt animi, &  
 quæ corporis sunt, & quæ fortuna. Animi, vt quæ fortitudi-  
 nis sunt, quæ prudentiæ. Corporis, vt decorem, velocitatem,  
 robur. Fortunæ, potentiam, amicos, opes. Adde deinde com-  
 parationem, quæ id quod laudatur, alteri collatum tollatur in  
 maius. Postremò epilogo qui precationi similior sit, concludes.

Exemplum, Thucydides laus. Digni sunt quos laudibus <sup>Proæmium.</sup>  
 prosequamur, qui vtilia vitæ inuenerunt, atque quorum indu-  
 stria pulcherrima rerum facta sunt locupletiora: & inuenta  
 honesta illorum ingenijs accepta referri par est, qui ea in lucẽ  
 protulerunt. Merito ergo Thucydides oratione mihi celebrã-  
 dus est, qui ipsi plurimum attulit ornamenti. Omnes enim de  
 vlla humanarum rerum parte bene meritos æquum est vene-

APHTHONII SOPHISTAE

*rari: Thucydidem verò eo magis, quòd pulcherrimo omnium  
 illustrando curam suam impendit. Neque enim quicquam elo-  
 quentia pulchrius, neque Thucydidè quenquam bene dicendi  
 gloria præstantiorem inuenire est. Nactus autem Thucydidès  
 eam est patriã, quæ & vitam pariter illi & eruditione præ-  
 beret. Neque enim alio in loco natus est, quàm vnde omnis be-  
 ne dicendi ratio profuxit: originemque vitæ sortitus Athenis,  
 reges generis habuit sui authores. Itaque ab vltima protinus  
 origine, clariore maior fortuna est illustratus. Vtraq; ergo ha-  
 bens, & generis amplitudinẽ, & ciuitatis statum popularem,  
 quòd clarior vtrique fieret, est ab vtroq; adiutus. Ne enim ad  
 iniustas opes potentiãque dilaberetur, æqualitate legũ pro-  
 hibit<sup>o</sup> est: nève in obscura reliquæ plebis vilitate delitesceret,  
 fœlicitate generis est cõsequutus. Talibus igitur procreatus,  
 in Repub. interque leges educatur, quas certè optimas esse vi-  
 tæ magistras in confesso est. Inter leges autem armæque viue-  
 re instituens, eruditioni simul atque rei militari operam dare  
 decreuit: neque studia in armis deserens, neque arma, vt præ-  
 cipuã prudentiæ partem, relinquens: vnòque conatu duarum  
 diuersarumque artium curã habebat, coniungens ingenio pa-  
 riter ea quæ natura sunt separata. Vt tandem ad virile per-  
 uenit robur, occasionem quæsiuit profrendis eis quæ pulchrè  
 fuerat in atate meditatæ. Nec defuit casus, bellumque protin-  
 nus est ortũ: ipsæque res ab vniuersa gestas Græcia literis cõ-  
 plexus, posteritati mandauit, conseruator eorum & velut in-  
 staurator, quæ bellorum deleuit iniuria. Nec passus est quod  
 quisque gessit, temporũ situ aboleri. Ex ipso ergo cognoscitur  
 captam esse Platæam, scitur Atticam esse vastatam, tenetur  
 Athenensium classibus Peloponesi oras esse nauigatas. Cer-*

*Paria.*  
*Maiores.*  
*Educatio.*  
*Res geste.*

tatum est nauali pugna apud Naupaetum: non est nos Thucydides id passus latere. Lesbos ab Atheniensibus est capta, id quoque ab ipso indicatur. Cum Ambraciotis pugnatum est: hoc & ne diuturnitas aboleret effecit. Iudicium Lacedaemoniorum non ignoratur. Sphaeria & Pylus ingentes Atheniensium labores non latent. Concionantur Coreyraei Athenis, Corinthij ipsis contradicunt. Aeginates accusaturi Lacedaemona proficiscuntur. Iam verò à belli consilio Lacedaemonios Archidamus absterrens, contra Sthenelaides ad bellum suscipiendum impellens. Ad hæc Pericles legationem Laconicam contemnens, neque passus deficere animo propter pesilentiam Athenienses. Cuncta hæc, Thucydidis opera ingenioque in omne ævum ab obliuione vindicantur. Quis autem Herodotum ipsi comparauerit? Ille enim ad voluptatem legentium scripsit, hic omnia ex rebus ipsis atque veritate deprompsit. Quanto verò quod ad alienam sit gratiam, infra id est, quod sit ad veritatem: tanto post se Thucydides Herodotum relinquit. Erant alia quoque permulta, quæ de Thucydidis dicerentur, nisi quo minus omnia diceremus, laudem illius nobis obstaret multitudo. Aliud exemplum. Sapientiae laus. Sapientiam adipisci, felicitatis est. Laudare autem pro dignitate ipsam, maius est quam ut nostris id viribus assequi possimus. Tantum enim illi superat gloriae, ut commune quoddam deorum immortalium bonum esse credatur. Quum enim deorum vnusquisque velut descriptam officij sui tueatur partem, Iuno nuptijs præsit, bellis Mars cū Pallade, Vulcanus inter ignes fabriles suas exerceat partes, ducat nauigantes Neptunus, & quisque alius aliud sibi vendicet, sapientiã in commune sibi asserunt omnes: præcipue verò præ omnibus

Comparatio.

Epilogus.

Prooemium.



## APHTHONII SOPHISTAE

Genus.

Iupiter, quanto reliquis maior est, tanto omnium quoque sapientissimus existimatur: vnaque sapientia est, quae vel maxime aeternam Ioui praestat potestatem. Et dii quidem nativam ipsam cognatamque sibi habent, munere autem ipsorum in terras quoque delata est: & deorum filijs, hominum ipsam generi intulerunt. Quamobrem merito laude prosequendi mihi videntur poetae, qui Palamedem Nestoraque, & si quis alius sapiens olim fuisse canitur, deorum fuisse filios tradiderunt: non quidem illi vano commento deorum naturam velut permutare conati, quam ne dii quidem ipsi permutare possent: sed generis permixtione communicationem indicantes virtutis: ut qui diuina quadam ceteris admiratione praestarent, deorum filij crederentur. Nec immerito illorum in deos referebant genus, quorum sapientia maior quam humana, originem videbatur affirmare diuinam. Sola autem ipsa in utroque rerum statu aquas habet vires. Nam reliquarum rerum alia bello solum probantur, alia laudamus in pace. Sapientia vero praecipua est utriusque temporis moderatrix. Sic in bello versatur, tanquam prorsus artium pacis ignara: sic pacem continet, tanquam nunquam agitata strepitu bellorum. Denique tam apte utrique sese accommodat, ut in utro horum aestimes, ei soli videatur esse dicata. Fert pacis temporibus leges, & omni tranquillitatis vitetur more: in bello vero victoriam praebet. Neque armis solum superiorem facit, sed in concionibus quoque praestat inuictum. Itaque & inter bellantes, & inter pacatos sola praecellit, primasque sibi vendicat sapientia. Sola quoque diuinitatis proximè exprimit similitudinem. Sola enim velut deus futura prospicit. Quin ipsa quoque terram agricolis attribuit, nauigantibus assignauit mare: adeo non fruges colligere sine sa-

pientia, non nauem nisi sapientis gubernatoris praesidio freti  
 ascendere auderemus. Itaque quicquid exhibet mare, quicquid  
 hominum visibus terra profert, merito sapientiae munus cuncta  
 censentur. Ne caelum quidem, & si quid secretius in ipso la-  
 tet, dimisit in occulto. quantum Solis se porrigit ambitus, quod  
 spatium stellarum unaquaeque circumscribit, ipsa peruestigauit.  
 Despexit intra terras etiam: & quo pacto vita defuncti age-  
 mus, ipsa nobis aperuit. Troiam, quam capere temporis diutur-  
 nitas non potuit, sapientiae actus subegit: & omnem Persarum  
 potentiam, unius Cyri consilium parauit. Cyclopi oculus e-  
 rutus est prudenti Ulyssis inuento. Sicque quicquid est quo quis-  
 quam vincat, ab ipsa sapientia deriuat. Quis ergo ipsi fortitu-  
 dinem comparasse velit, quum quicquid viribus fieri possit, Comparatio.  
 ipsa etiam sapientia praestet? Adcoque si ipsam fortitudini ad-  
 emeris, per se fortitudo culpanda videatur. Erant & multa Epilogus.  
 alia quae de sapientia dicerentur, nisi maiora essent quam quae  
 possent modica oratione completi.

Vituperatio.

IX.

Vituperatio est oratio quae mala alicui insunt complectens.  
 Differt autem a loco communi vituperatio: quod locus comu-  
 nis parnas exposcit: vituperatio vero solum habet velut nudum  
 conuictum. Diuiditur autem in eadem capita in quae laus, pos- Diuisio vitu-  
perationis.  
 suntque vituperari eadem omnia, quae & laudari: persona,  
 res, tempora, loci, bruta animalia, atque plantae. Vituperamus  
 vero & communiter & singulatim. Vbi vero procerium fece-  
 ris, adiunges genus: quod diuides eadem qua in laude ratione:  
 deinde educationem, & res gestas, & comparisonem & epi-  
 logum ita facies, quemadmodum in laude.

Exemplum. Neque virtutem merita laude frustrari re- Procerium.



APHTHONII SOPHISTAE

Etiam est, neque itidem sine reprehensione dedecora relin-  
 qui: quoniam si non ita fiat, id quod præcipuum est amborum  
 præmium, utriq; aufertur, laudandis quidem gloria rectè fa-  
 ctorum, vituperandis verò scelerum turpitude. Omnes au-  
 tem male audire æquum est, qui malos sese præbuerunt: tanto  
 magis verò omnibus Philippum, quòd omnes improbos longè  
 Genus. omni scelere superavit. Natus enim est ex ea gēte, quæ pessima  
 est omnium barbarorū, & quæ non certis cōsistere sedibus  
 potuerit propter ignaviam, sed coacta sit locum è loco permu-  
 tans, varijs erroribus iactari. Argivi enim primùm ipsos fini-  
 bus exturbaverunt. hinc diu vagi, ad eam tandem quam nunc  
 incolunt regionem perlati sunt. Duplici itaque infelicitate im-  
 plexi, & quòd melioribus coacti sunt cedere, & quòd in im-  
 becilliores violenti iniustique fuerunt, nunquam turò habitare  
 aut vacui metu agere potuerunt. Hac ex gente natus, vilior  
 adhuc pro modo ortus est vrbe. Ut enim ultimi barbarorum  
 Patria. sunt Macedones, ita Pella Macedonia vrbs est postrema, ex  
 qua ne quum mancipia quidem acceperint homines, tanti pu-  
 tant. Hac ergo progenitus patria, maiores habuit patria ipsa  
 maiores. longè magis pudēdos. Philippus enim inter maiores ipsius fuit,  
 propter generis dedecus, quo minus rerum potiretur, prohibi-  
 tus. Hinc Amyntas pater ipsius, ut regnaret, alienis opibus  
 fuit fulciendus. expulsus enim Atheniēses reduxerūt. Tali igitur  
 ortus patria, tales sortit⁹ generis authores, apud Theba-  
 nos moratus primùm obses fuit. Nec quāvis media in Græcia  
 Educatio. versaretur, mores cōiūctū mutās ad meliora deflexit, sed bar-  
 baricam semper impotentiam inter Græcam retinuit institu-  
 tionem. Quumque sit omne humanum genus in Græcos atque  
 barbaros divisum, ipse velut ex utrisque commixtus, similem

improbitatem in dissimilibus gentibus exercebat. Orsus ergo  
 primum à cognata gente, ipsam subegit, velut à perfidia rerū Res gestæ.  
 suarū initia auspicatus. Inde & finitimos aggressus populos,  
 perdomuit: captisq̄ue deinde Pæonibus, Illyricos est adeptus.  
 Triballorum quoque gentem inuadens, & quicquid præterea  
 in proximo erat terrarum, omnia vno velut impetu deuicit. Et  
 corpora quidem barbarorum pugnando cepit, mentes autem  
 cum corporibus nequiuit capere: verum defectionem medita-  
 bantur, quanuis armorum metu seruirent: erantque liberi ani-  
 mo, licet præsentī terrore premerētur. Subactis ergo finitimis  
 barbaris, continua via Græcos inuasit: primumque ad Thra-  
 ciam positas vrbes occupauit, cepitque Amphipolim, Pydnam  
 subegit, istisq̄ue Potidæam adiunxit, neque Pheras extra Pa-  
 gaseos, neque Magnessam extra Pheras ducens. Sed cunctæ  
 Thessalorum capiebantur vrbes, & velut generis mercedem  
 seruitutem ferebant. Dignum sanè fuerit, exitum quoque ipsi-  
 us recensere. Postea enim q̄ pleraq; quæ inuasit, oppresserat,  
 subieceratq; cōtra fœdera eos qui fuerāt fœderibus deuincti,  
 offensi violatis fœderū sacris dij, cōuenientē perfidiæ illius fi-  
 nem dederūt. Neq; enim pugnantē, atq; in acie, vt testes mor-  
 tis suæ spectatoresq; viros fortes haberet, ipsum occubere vo-  
 luerunt: sed medijs obruerūt voluptatibus, cōueniens Philippi  
 sceleribus funus exhibentes ipsas voluptates, quod documētum  
 intemperantiæ illius viuo morienti q̄ue præberēt. Quis autem  
 est qui Echetur illi putet posse, conferri? Echetur enim præ-  
 cis extremis aliquibus corporis membris, reliquum saltē cor-  
 pus relinquebat: at Philippus totos cum corporibus ipsis homi-  
 nes perimebat. Quantōq; sc̄uius est totū deleri hominē, quàm  
 partem aliquam auferri: tanto perniciosior est Echeto Phi-

Comparatio.

Epilogus.

*lippus. Desinere autem à sceleribus suis Philippus nesciebat, quum mihi victo magnitudine sceleru illius, necesse sit vt desinam plura de ipsis facere verba.*

Comparatio. X.

Comparatio est oratio ex collatione aliquid disquirēs, quo id quod comparatur, in maius extollat. Comparantur autem vel bona bonis, vel bona malis, vel mala malis, vel magna paruis, vel parua maioribus. Prorsus que comparatio duplicē habet vel laudem, vel vituperationem, vel alterutrum ex laude vituperationēque compositum. Est itaque totus hic comparationis locus acer in primis, maximē verò parua maioribus conferens. Comparari vero eadem omnia possunt, quæ laudari possunt, quæque vituperari: personæ, res, tempora, loci, peccata, atque plantæ. Non oportet autem comparantem totas res totis conferre (supinum enim est, & nequaquam pugnax) sed capiti caput conferendum, quum diuidere totas, laudis sit mos, non comparationis: Comparatio autem in hoc non est posita, quando totum hoc præexercitamentum comparatio vocatur.

Prooemium. *Exemplum. Volenti mihi virtutem conferre virtuti, cum Achille haud immeritò cõponendus fuerit Hector. Sunt quidē ipsæ per se virtutes nimirum abunde honestæ, cõparatæ tamē admirabiliores videntur. Patria ergo nati sunt non eadē, laudata tamen vterque. Ille enim in Phthia, vnde Græciæ ipsius primū prodijt cognomentum: hic vero Troiæ, cuius habitatores decorum quoque primi fuerunt. Quòd si pari natū esse loco, affert aliquid ad laudem, nihil quidem hæc in parte Achilli posthabendus est Hector. Nati autē vterque præclara patria, parem quoque generis habuerunt dignitatem. Vterque enim ad Iouem originem suam initiūque generis sui refert. Pelei*

Locus.

Genus.

nim filius Achilles fuit, Aeaci vero Peleus, & Aeacus Iouis.  
 Sic quoque Hector Priami, Priamus autem Laomedontis, &  
 Dardani Laomedon filius, Dardanus quoque Ioue prognatus  
 est. Progenitore autem Ioue nati uterque, reliquâ quoque ma-  
 iorum seriem habuerunt claritudine æqualem. Ut enim Achil-  
 les Aeacum habuit & Pelea, quorum ille Græciam liberauit  
 pestilentia, hic Lapithis deuictis, ob egregiam virtutem deæ  
 cōiugiū est affectus: sic Hectoris Dardanus progenitor fuit,  
 deorum primū dignus habitus conuictu: pater autem Pria-  
 mus imperauit vrbi, cuius muros ipsi quoque dii fundarunt.  
 Quòd si non minus est, quàm deæ sortitum esse coniugia, deco-  
 rum, idque optimorum, mensa conuiuioque vsus esse, nihil est  
 quod quisquam maiorum gloria Hectori præferat Achillem.  
 Talibus autem uterque maioribus procreati, ambo ad forti-  
 tudinis sese studia contulere: & ille quidem à Chirone educa- Educatio.  
 tus est, huic Priamus ipse præceptor velut naturæ quadã via  
 virtutis monumēta tradebat. Par itaque similisque educatio,  
 parem utrique conciliat laudem. Ut autem ad virile peruenē-  
 re robur, eodem in bello par uterque animi virtutisque speci-  
 men præbuerunt. Hector enim Troianos ducebat, solusque ve- Res gesta.  
 lut obex, propugnaculumque ciuitati datus, tuebatur ipsam: ste-  
 titque quàm diu fauentibus dijs, & auxiliariis est vsus. Ca-  
 dens deinde, ipsam quoque Troiam post se traxit atque euer-  
 tit. Achilles verò Græcorum præerat armis, terrorēque omnes  
 vincebat Troianos, Palladis fultus numine atque auxilio: oc-  
 cumbensque, spem victoriæ in reliquum abstulit Græcis. & il-  
 le quidem victus à Pallade interiit, hic autē cecidit ab Apolline  
 confixus: nati que ambo ex dijs, ambo quoque deos habue-  
 re mortis authores: utque diuinitus generis initia, ita vitæ etiã

## APHTHONII SOPHISTAE

Epilogus.

exitum acceperē. Quòd si similis vtrique vita fuit, similis que mors vtrunq; abstulit, quid est quo non Hector par sit, quòque cedere debeat Achilli? Plura erāt quæ dicerem de vtriusque virtute, nisi quæadmodum in his quæ dixi, ita in reliquis per omnia ipsorum gloria esset æqualis.

Ethopœia.

XI.

Ethopœia.

Ethopœia, id est (vt ita dicamus) imitatio, est expressio morum personæ propositæ. Sunt autem tres ipsius species: idolopœia, id est cõformatio: profopopœia, id est effictio: & eo quo diximus nomine ethopœia, id est sermocinatio. Est autẽ ethopœia, quæ notam habens personam, mores solum effingit, vnde

Idolopœia.

& ethopœia vocatur: vt qualia faceret verba Hercules Eurystheo sibi imperatẽ. hic notus quidem est Hercules, dicẽtis verò effingimus mores. Idolopœia est, quæ personam habet notam, sed defunctam, & loqui non potentem, quemadmodum ei dicitur Eupolis finxit, Aristides in oratione ἰπὸς τῆς παλαιᾶς.

Profopopœia

Vnde & idolopœia vocatur. Profopopœia est, quando finguntur omnia, & mores, & personæ, quemadmodum Menander fecit Argumentum. Argumentum enim nec rem nec personam habet propositam: vnde profopopœia est dicta. fingitur enim ipsa cum moribus persona. Diuiditur autem ethopœia: nanque

Diuisiones ethopœiæ.

alia affectum exprimit, alia mores, alia vtrunq;. Ad affectum pertinet, quæ prorsus animi significat motum: vt qualia verba Hecuba faceret Troia subuersa. Moralis est, quæ solos exprimit mores: vt qui diceret mediterraneus primũ conspicatus mare. Mixta est, quæ mores habet pariter & affectũ: vt qualia loqueretur Achilles super occiso Patroclo, de bello deliberans. Mores enim consilium habet, affectum verò amicus occisus. Tractabis ethopœiam genere dicendi aperto, breui, flo-

rido, disjuncto, omni flexu atque figura remota: proque capi-  
 tibus diuides tribus ipsam tēporibus, presenti, præterito, &  
 futuro. Exemplum. Me miseram, quam aliam præ alia de- Niobes quea  
 flebo calamitatem, orbata nunc liberis, quibus antea fueram rela.  
 insignis? Quæ copia infælici mihi, ad quæ redacta est inopiam. Præsens.  
 Non sum iam misera vnius filij mater, quæ antea tam multis Præteritum.  
 conspicua incedebam. At quāto satius foret sterilem fuisse po-  
 tius, quàm in lachrymas atque luctus fæcundā. Longe enim  
 infæliciori sunt loco hæ quæ orbitatem suam deslent, eis quæ  
 nunquam pepererunt. Hoc enim quod experimentum amoris  
 filiorum sumpserunt, destitutis postea acerbissimum est. Sed in-  
 fælicem me, quæ parem ei qui me genuit, sum experta fortu-  
 nam. Orta enim ex Tantalo, qui conuictu deorum fælix, tan-  
 dem ab ea est deorum amicitia euolutus, huius quoque cladi-  
 bus meis approbo me esse genus. Coniuncta enim sum Latonæ,  
 perque hanc ipsam nunc his opprimor malis, & ipsius fami-  
 liaritatem filiorum orbitate deploro. Hicq; mihi finis est cum  
 dea coniunctus, vt in calamitatibus degā. Prius nanque quàm  
 ipsi sum cognita Latonæ, fælicior ipsa fui mater: vt autem sum  
 illi notior facta, desolata sum liberis: quorum antea quàm me  
 nossent ipsa, insigni fui multitudine beata. Iacet ille sexus vtri-  
 usque latus filiorum numerus, inopemque me lachrymarum  
 felicitas effecit. Quò me vertam infælix? ad quæ desleat?  
 quod mihi ad tot defunctos liberos sufficiet sepulchrum? Mi-  
 seram me, in tantis malis meis ipse quoque me deserit calami-  
 tatum mearum honor. Sed quid ista queror? Certum est mihi Futurum.  
 deos orare, vt in aliam vertant me naturam. Vnum miseria-  
 rum mearū video remedium, vt in alicuius quod sensus vitæ-  
 que sit expers, formam cōmuter. Sed vereor misera, ne & sic



## APHTHONII SOPHISTAE

quoque quanuis mutata, inter lachrymas agere non cessem.

Descriptio. XII.

Descriptio est oratio, narratione id quod propositum est, diligenter velut oculis subiiciens. Describuntur autem personae, res, tempora, loci, bruta animalia, & plantae. Personae, ut Homerus in Odyssea ad Eurybaten,

Latus erat humeris, ore ater, crineque crispus.

Res, ut nauales pedestresque pugnae, quemadmodum historici. Tempora, ut ver, aut aestas, differendo quam multi in his se proferant flores. Loci, ut Thucydides portum Theoprotarum ~~ἔπειτα~~ dixit, id est hyemalem, velut figura. Describentes verò personas, à summis ad ima usque ire oportebit, id est à capite ad pedes. Res verò ab antecedentibus, & eis quae insunt ipsis, quaeque ex ipsis solent provenire. Tempora verò & loca ex eis quae ipsis continentur. Descriptionum autem aliae sunt simplices, compositae aliae. Simples, ut quae pedestres vel nauales explicat pugnas. Compositae, ut quae res pariter temporaque coniungunt, veluti Thucydides, qui nocturnam in Sicilia pugnam describit. Simul enim & pugnam quomodo facta sit, & nocte quomodo gerebatur, comprehendit. Oportet autem describentem dicendi figura uti tenui, & multiplicibus orationem variare schematibus, prorsusque res imitari quas describit. Exemplum. Arces urbibus in publicum sunt praesidium constitutae. Sunt enim velut hostium arctrices, firmatiorque non magis ipsae urbibus, quam ipsas urbes tuentur. Atheniensem autem arcem media Athenarum complectitur regio.

Divisio de =  
scriptionum.

Descriptio  
arcis Alexan-  
driae.

Ea verò arx quam urbi suae posuit Alexander, ob quam causam nomen habet arcis, ob id ipsum quoque urbi additam esse, obuium est videre. Quòd enim supra urbem posita, ex sum-

mo tuetur ipsam, rectius hoc sibi conueniet nomen, quàm ea qua gloriantur Athenienses. Hanc autem sicuti se habet, ita oratione quoque prosequemur. Clius quidã medio è solo extollitur, ingenti in sublime spatio se proferens. hunc arcẽ vocat propter vtraque hæc, & quòd hostes arceat, & quòd sit in vrbis arce, id est summo, locata. Viæ ad ipsam ducunt duæ, sed dissimiles. Hæc enim via est, illã verò patet ingressus: mutatisque proinde nominibus id ipsum quod sunt, vocatur. Hac nãque parte pedibus quauis paratus & expeditus accessus est, capaxque curruum via. Illi verò quæ curribus inuia est, additæ sunt scalæ, gradusque supra gradum ex inferiori in sublimem deducens: neque prius quàm centenarium expleuerint numerum, desinentes: idemque numeri est viæque finis. Vestibulum dehinc gradus excipit claustris mediocribus obfirmatum, quatuorque sublimes & maximæ columnæ, quæ vias omnes ad vnum deducunt ingressum. Columnis his alias minores, pluresque columnas domus obtedit, quæ colore vario conspicuæ, eximium præbent loco ornatum. Tectum autem diatæ in circulum circumactum, ingentem multiplicemque imaginem completitur rerum. Introeunt autem arcem locus offertur, quatuor eisdemque æquis lateribus diuisus: proinde quoque tota adificij figura efficitur quadrata. Aula in medio est columnis inclusa. Eam porticus excipiunt, & eæ quoque æqualibus diuisæ columnis, ita in medio dispositis, vt neutram in partem sint nihil quicquam flexæ. Vnaquæque autem porticus ad obliquam alteram finitur: & duplex est columna ad vtranque porticum diuisa, vt illa quidem desinat, hæc verò rursum incipiat. Addita autem porticibus introrsum armaria, quibus libri recõduntur: eaque semper, si cui vacet aut libeat legere aliquid, pa-



APHTHONII SOPHISTAE

tent, totamque velut urbem ad philosophiae cultum adhortatur. Alia item loca sunt ad venerationem deorum veterum instituta. Tectum porticuum auro distinctum, vertices columnarum aere fabricati, auroque supernè inclusi. Neque verò aula simplex ornatus est, verum alius atque alius: quorum hic quidem Persei continet certamina, ille autem aliud. Media autem arce columna immensa altitudine se profert, quae locum ipsum facit illustrem. Haud enim in proprium quis quod progrediatur, habet, nisi indicem viarum hanc subinde respectet columnam. Quin et arcem ipsam terra marique conspicuam praestat. In vertice columnae principia rerum, primaque elementa sunt expressa. Prius autem quam media transeat, aedificium est quoddam pluribus ostijs patens, quorum cuique à deorum veterum aliquo est inditum nomen: duae debinc pyramides lapideae positae, et fons profluens, Pisisstratarum fonte haud paulo melior. Mirandum etiam id quoque spectaculum est, quod eorum qui fabricati sunt arcem, velut vno tanto operi non sufficiente, numerum nominaque comprehendit, duodecimque; pariter in ipso arcis fastigio conspiciuntur artifices. Descendenti autem ab arce mollis offertur locus, stadio adsimilis: idque ipsum loci est nomen. alia item parte alius quoque ad similia accommodus, non tamen ad planum ferens. Et ornatus sane arcis pulchritudoque maior est, quam ut paucis narrari possit. Quod si quid praetermissimus, admiratione rerum in se rapientium animum, est effectum. Sed et quae pro magnitudine explicari non poterant, ea relinquere satius est visum.

Theſis.

XIII.

Theſis, id est consultatio, est rei alicuius inuestigandae per orationem disquisitio. Consultationum autem aliae civiles sunt;

alia contemplatiuæ. Ciuiles sunt, quæ actionem habet ciuitati accommodatam, velut, An ducenda vxor sit, an nauigandū, an muri faciendi. His enim omnibus ciuitatis status cōtinetur. Contemplatiuæ verò, quæ ad solam animi considerationem pertinent, videlicet, An globosum cælum, an multi sint mundi. Hæc enim in vsum hominibus non veniunt, sed mēte sola peruidētur. Differt autem consultatio ab hypothēsi, id est causa, quæ causa definita est, consultatio verò indefinita. Definitio autem fit persona, re, causa, & reliquis, vt, Muri sintne faciēdi, perquisitio est sine persona. Quod autem inuadentibus Persis Lacedæmonij consultant muro Spartam circū dare, causa est. Personam enim habet, Lacedæmonios deliberantes: rem, murū Spartæ addere: causam verò, inuadētes Persas. Prima autem omnium præexercitamentorum consultatio cōtradictionem & solutionē velut quæstio capit. Diuiditur thesis primū eo quod vocamus aggressum, quem proœmij loco pones: hinc finalibus vtēris capitibus, legitimo, iusto, vtili, & possibili.

Diuisio consultationum.

Definitio.

Diuisio thesicos.

Aggressus vice proœmij

Exemplum. Si quisquam omnia pariter laudare volet, is mihi matrimonium laudet. Demissum enim ex cælo est, ipsumque rursus cælum deis impleuit, eosque procreauit, quorum munere paternum hominibus tribuitur nomen: eisdemque quos progenuit, dedit rerum naturam tucndam. In terras autem acceptum, reliquis omnibus originem dedit: quæque singula natura sua fluxa caducæque erant, ea stabiliiuit posteritate, eternitatemque ipsis successione adinuenit. Primum autem maximè ad fortitudinem subeundæque constanter pericula homines impellit. Quoniam enim vxores liberosque defendit, pro quibus suscipiuntur bella, certum est eo quo ad sumenda arma hortatur, eo quoque vt erecti bellorum euentus

subeamus, hortari. Quin iustos etiam, nedum fortes homines efficit. Cognationum enim necessitudines iurâq; tribuit, quorum respectu metûque ab inferenda iniuria homines coercet: itaque iustitiam simul docet cum fortitudine. Sed et sapientes facit, quippe quibus charissimorum pignorum inicit providentiam atque curam: quodque maxime quis miretur, ipsam temperantiam secum affert matrimonium, et in medijs voluptatibus modestia quoque inuenit locum. Legem enim libidinibus praescribens, temperantia sine voluptates coercet: quaeque ipsa per se accusatur voluptas, eam matrimonio coniunctam laudamus. Si ergo matrimonium deos dedit, et procreando posteritatem omnem firmat, si fortes item iustosque facit, et sapientes praestat, et temperantes, quis est qui non pro virili, quatenus possit, ipsum sibi putabit esse laudandum? Sanè, inquit, sed calamitatum multarum matrimonium est causa. Fortunam mihi videris, non matrimonium accusare. Quae enim aduersa hominibus accidunt, eorum fortuna est causa, non matrimonium. At contra quae lata matrimonium tribuit, ea certè nequaquam fortuna accepta possunt referri. Rectius ergo est matrimonij bona laudare, quam accusare mala, quae ex ipsa afferuntur fortuna. Iam verò si quis maxime humanorum casuum aduersa volet matrimonio assignare, nihilo tamen idcirco magis fugiendum erit. Num si qua reliquis in rebus nos offendunt, ea contumud nos ab ipsarum cura deterrebunt? Agedum singulas excutiamus artes: omnes habent aliquid quod quis accuset. Agricola procellis infestatur, grandine excutiuntur: non tamè si quos tempestas offendit, ideo statim agros relinquunt, sed perseuerant colere. Neque nautae si quid ex caelo accidit ipsis, contumud post tempestatem dissoluunt naues, cessantque navigare

Cōtradictio.  
Solutio.

deinceps metu corū quæ pertulerunt: verū difficultates fortuna tribuentes, ad opes quas mari parauerunt, reuertūtur. Bella etiā pugnāq; militantium absument vitā: non tamē quia occumbunt aliqui, idcirco deserunt militiā: sed quia pugnantes ob fortitudinem laudantur, hoc ipso etiam q̄ ceciderunt, gaudent, & instantem fortunæ asperitatem presentis gloria bono rependunt. Neq; enim propter mala, meliora fugienda sunt, sed bonorum causa & asperrima perferenda. Nonne ergo absurdum est, agricolas, nautas itē & milites difficultates meliorū gratia tolerare, matrimonium verò nobis auersandū putare, quia habeat aliquid quod offendat? Sanè, inquit, sed viduitatem mulieribus, puerisq; orbitatem affert. Mortis hæc mala sunt, hancq; nobis difficultatem, circumdedit natura, quā tu quidē accusare mihi videris q̄ non homines effecit vt dii esēt, accusarēque matrimonium quidd non dijs mortales coniunxit. Quid insimulas matrimonii eorum quorū est apud mortem causa? Quur nuptiarū dicis, quod ipsius est naturæ? Patere perire eū qui natus est, quocunque tandē pereat modo. Quid si occidūt homines quia nati sunt, eadēque via coniugem viduā relinquūt, natōsq; ex se filios faciūt pupillos? Quid hæc matrimonij dices culpa fieri, quæ solū ab ipsa sunt natura? At ego econtrario orbitatē viduitatēq; puto matrimonio resarciri. Mortuus est illi pater, eoque nomine pupillus est: reddit rursus alium illi matrimonii patrē. Itaq; hoc malū nō ex matrimonio prodit, sed matrimonio occultatur, fitq; matrimonii nō causa orbitatis, sed abscondit potius ipsam, & restaurat. Sic viduitatē quoque quam obitu mariti attulit natura, matrimonium nouis iterum nuptijs immutat. Quam enim mors reliquit viduā, hæc rursus matrimonium viro coniungit: atque velut conseruator

Cōtradictio.  
Solutio.

APHTHONII SOPHISTAE

muneris sui, ea quæ dedit initio, ablata quoque restituit. Auferre ergo viduitatē solet matrimonium, non facere. Pater quoque morte liberis orbatur, rursusque alios matrimonio assequitur: fitque secundo matrimonij munere pater, cui id quod semel iam habuerat paternum nomen, erat ablatum. Quid ergo matrimonij bona in crimen ipsius conuertis? Videris mihi non arguere, sed laudare nuptias velle. Quando enim enumerare nuptiarum bona cogis, laudator matrimonij factus es potius quam reprehensor: vituperansque matrimonium, ut recenseamus laudes ipsius adducis, causamque prebes munera sua recognoscendi nobis, eo ipso quod crimina tua refutamus.

radiatio.  
Solutio.

Est, inquit, sed laboriosa tamen res est matrimonium. Verum, sed labores quoque matrimonium soluit, & auferuntur per nuptias, quæcunque exercitos homines reddunt. Facilis quidem res est cum muliere sociari: quātulum autem virum in thalamo uxori cōiungi? lam quàm in promptu speratur puer, speratusque se profert, & in lucem prodies, mox patrem appellat? Ad dicitur deinde arti alicui discendæ, patrisque fit laborum particeps. In concionibus exinde versatur, pascitque in senectâ patrem: & prorsus in quodcunque res ipsa poposcerit, aptum se expeditumque præbet. Aded non est oratione recensere quanta matrimonium afferat bona. Ingens ergo res est matrimonium, & deos procreans, & mortalibus ut dii esse videantur, successionem præstans. Docetque operatos sibi fortia atque iusta, simulque prudentiam & temperantiam: quin & reprehensas alioqui voluptates honestas facit. Idcirco plurimi faciendum esse matrimonium inter omnia facile constat.

Epilogus.

Legis quoque inductionem quidam exercitamentū esse putauerunt. Est enim propemodum tota causa, non tamen omnia quæ in causa sunt, intra se continens. Affert personā quidem, sed incertam, & non omnibus notam: vnde & in cōsultationis magis est parte, quàm causa. Quatenus enim figuram in se habet personā, superat consultationē: quia tamen prorsus definitionem nō habet, idcirco citra causam subsistit. Est autem duplex legis inductio, confirmatio positæ legis, atque confutatio. Lex autem est inuentum deorum, communis constitutio ciuitatis, correctio vtrinque erratorum. Diuisio autē inducendæ legis est ista. Tractabis eam capitibus eisdem, quibus negocialē: legitimo, iusto, vtili, possibili. Proxiū facies: postq̄; proxiū subijcies contrarium: hinc capitibus prædictis vtēris. Vnde & hoc exercitamentū à causa differt. Exemplum, Nec mihi videtur per omnia lex ista laudanda: nec rursus ea quæ scripta, prorsus reprehendenda crediderim. Quòd enim pœnam adulteris decernit, laudo planè: quòd verò iudicum sententiā non expectat, culpandum certè videtur. Si nanque largitionis metu, ne qua iudices corrumpantur, iudicia præuenit, suspicax nimirum est, & iniquæ nimium erga Iudices mentis. si verò iusta iudicare vos, quemadmodum facitis certè, arbitratur, iniquum esse constat, si lex Iudices quidem laudet, tollat autem iudicandi potestatem. Aliæ sanè leges, quæcunque demum eæ sunt, & quacunque ratione perlatæ, discrepant fortè ab alienæ ciuitatis legibus, sed & alterius rursus legibus cōueniunt. Hac autem sola lex omnibus simul repugnat ciuitatum institutis. Videmini autem mihi multo rectius de hac lege cognituri, si omnia recenseatis consulta vestra atq; decreta. Duces bellorum, sacerdotia, plebiscita, omniâque adeò quæ ad

Diuisio legis.

Proxiū.  
Accusatio legis iubētis adulterum in ipso adulterio interfici.

Contrarium.



## APHTHONII SOPHISTAE

rem militarem pertinent, iudicum subeunt diligentiam. Fit q̄i dux ille, quē index constituit: sacrificat, qui iudici videtur: iustumque decretum est, quod populi sententia perrogatum est. Victores quoq; præmia non accipiunt bellorum, nisi iudicata. Quomodo ergo non absurdum est, omnia iudicum arbitrium expectare, solam verò præsentem legem iudicū subterfugere cognitionem? Sanè, inquit, sed magnæ sunt mæchorum iniuria.

Contradictio.  
Solutio.

Quid autē? sicariorum an non longè grauius scelus? quid proditores sicarij? quid itē sacrilegos proditoribus? an minus videlicet credemus nocētes? Attamē quanuis deprehēsus, iudicū sententiā experitur: neq; proditor pœnas dat, nisi decernente iudice: Neq; perimitur sicarius, nisi eo qui accusat, coarguente delictum. Neq; qui numinibus dicata præripuerunt, puniuntur antè quàm index admissum cognouerit scelus. Nonne ergo iniustum est, maiora iudicum vindictæ reseruari, neque quicquā corū criminis loco, nisi iudici liqueat, æstimari: solū autē adulterum perire sine disquisitione, de quo maximè omnium cognosci oportebat, quanto rarius id contingere videmus? Et quid

Contradictio.  
Solutio.

refert, inquit, occidam adulterum, an iudicibus tradam, si vtraque via morte pœnas luet? Hoc interest scilicet, quod inter tyrannum atque leges, quòdque inter Rempublicam & regnum. Tyranni enim est promiscuè quemcūque libitum fuerit occidere, legū verò non nisi eum qui antè sit iudicio cōuictus. Hòcque vel hinc maximè liquet, q̄ quacunque populus antè concionibus perquisierit, de ijs postea iudicio cognoscitur. At leges ea quæ incerta sunt, puniunt tanquam deprehensa. Populus item disceptatione omnia atque contentione disponit, quò sint explicatiora omnia. Contrà verò solus est pro omnibus, qui imperare & tyrānidem gerere decreuit. Quid ergo?

multumne intererit occidere adulterum, & iudicum sententijs puniendū tradere? Ad hæc quoque, qui per se adulterum occidit, se ipsum arbitriū pænæ admissi sceleris facit: qui verò iudicibus tradit ipsum, penes illos vult esse potestatem iusque animaduertendi. Neminem autem dubitare crediderim, quin æquius sit, eius qui accusatur, arbitrium esse apud iudicem, quàm apud accusatorem. Quinetiam qui suo arbitratu adulterum occidit, alterius rei gratia occidere ipsum aduersum se suspitione relinquit. At qui iudicio exhibet, solum iusta sectari, presentibusque sceleris dolore videbitur vlcisci. Est, inquit, sed grauiores dabit pœnas subito peremptus: alioqui enim medium ad iudicium vsque vitæ lucrabitur tempus. At contra porro habebit, si iudicetur. Acerbissimè enim iudicio destinatus deget. Ipsa enim expectatio mali, malo ferè est magis acerba. Supplicium deinde repetitio pænæ cumulusque; videbitur: morieturque sæpe, qui iam pro mortuo habitus est, expectationemque habebit exitu duriorè. Occisus autem de improviso adulter, non dolet: sensumque mortis, pænæ celeritas aufert. Insensibilis enim exitus, qui antè quàm expectetur, contingit: diu verò expectatus, ut semel solum fiat, exaggerat tamen metus diuturnitate tormenta. Age verò, si libet, considera hæc, conferque inuicem. Ille per se ipsum occidit adulterum, nullumque; facit ultionis suæ testem: alius iudicibus tradit, multosque; adhibet supplicio spectatores. Acerbior haud dubiè ultionis modus, quicumque; oculis est plurimum subiectus. Et optabilius alioqui adulteris, utcumque fuerit, occultè perire, opinionem apud plerosque relicturum, nimicitiarum causa esse occisos. Conuictio autem apud iudices crimine, indubitatam iam reus & nullis interpretationibus expositam sustinet pœnam, & præter occultam illam mortem,

Contradictio.

Solutio.



## APHTHONII SOPHISTAE

*Contradictio.* *Solutio.* *apertam exploratamque Iudicium cognitionem. At grauis est adulter, omniumq; scelerum magnitudinem supergressus. Coarguatur ergo prius, hinc occidatur: iudiceturq; potius, quam penas ante cognitionem incerto crimine pendat. Quemadmodum enim sublatis adulteri certiore facient procreationem, neque quisquam cuius sit filius deinceps dubitabit, vbi paterni nominis insidia adulteria fuerint adempta: ita quum sit adulterium publica quaedam rerum natura iniuria, publica quoque sententia plectatur. Vereor enim ne adulter secreto occisus, multos post se alios relinquat. Quando enim nesciunt reliqui quare perierit, improbe facta nihilominus amulabuntur: atque hoc ipsum quod punitus est, timeo vt non finis sit, sed initium futurorum malorum.*

## AVTHOR INNOMINATVS DE RHETORICIS.



*Mnes res iuxta rhetorica indagacione disciplinae argumentado confirmantur, aut ex eo quod personis, aut ex eo quod negotijs est attributum. Ac personis has res attributas putamus, nome, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, orationes, casus. Nomen est quod vnicuique personae datur, quo suo quaeque proprio et certo vocabulo appellatur. Nam de nomine nonnunquam aliquid suspicionis siue argumentationis nascitur: vt si dicamus idcirco aliquem calidum vocari, quod temerario et repentino consilio sit. Nam eiusmodi nomina quasi indices morum hominibus sapissime imponuntur. Ac de natura licet aliquantulum ducere suspi-*

*Nomen.*

*Natura.*

ciones, cuius partes sunt plurimæ. Aut enim sexus cōsideratur, ut virne, an mulier sit: aut natio, ut Graius, an barbarus: aut patria, ut Atheniēsis, an Lacedæmonius: aut cognatio, quibus maioribus, quibus consanguineis: aut ætas, ut puer, an adolescens: natu grandior, an senex. Præterea commoda aut incommoda considerantur, an natura data animo, an corpori, hoc modo: Valens an imbecillus, longus an brevis, formosus an deformis, velox an tardus, memor an obliuiosus, pudens, patiens, an contrà: & omnia hæc quæ naturæ sunt attributa ad aliquam coniecturam faciendam. Et ex victu multæ trahuntur suspiciones, cum quemadmodum, & apud quos, & à quibus educatus & eruditus sit, quæritur, & cum quibus viuat, qua ratione vitæ, quo more domestico viuat. Et ex fortuna sæpe argumentatio nascitur, cum seruus an liber, pecuniosus an pauper, nobilis an ignobilis, fælix an infælix, priuatus aut in potestate sit, aut fuerit, aut futurus sit, consideratur: aut deniq; aliquid eorum quæritur, quæ fortunæ esse attributa intelligantur. Habitus autem, quod in aliqua perfecta & cōstanti animi aut corporis absolute cōsistit, aut virtutis aut artis alicuius perceptione, & item corporis aliqua commoditate, nõ natura data, sed studio & industria cōparata, ipsa causa posita docebit quid hic quoque locus suspicionis ostendat. Etio est animi aut corporis ex tēpore aliqua de causa cōmutatio: ut letitia, metus, cupiditas, molestia, morbus, debilitas, & alia quæ in eodē genere reperiuntur. Et ideo affectionis quidē ratio perspicuam solet per se gerere coniecturā, ut amor, iracundia: propterea quod & illorū vis intelligitur, & quæ res harum aliquā rem consequantur, facie cognitæ sunt. Studium autem, quod est animi assidua & vebemēter ad aliquam rem

Victus.

Fortuna.

Habitus.

Affectio.

Studium.

## APHTHONII SOPHISTAE

applicata magna cū voluntate occupatio: vt philosophiæ, poetica, geometriæ, literarum. Facile ex eo ducetur argumentatio eius quod res in causa desiderabit. Item ex consilio sumetur aliquid suspicionis. Nam consilium est aliquid faciendi

Consilium.

Facta & ea =  
sunt.

non faciendū excogitata ratio. Facta autem, & casus, & orationem, tribus ex temporibus, cōsiderabimus: quid fecerit, aut quid ipsi acciderit, aut quid dixerit: & quid faciat, quid ipsi accidat, quid dicat: aut quid facturus sit, quid ipsi casurum, qua sit vsurus oratione. Negotijs quæ sunt attributa,

Negotijs at =  
tributa.

partim sunt cōtinentia cum ipso negotio, partim in gestione negotij considerantur: partim adiuncta negotijs sunt, partim gestum negotium consequuntur. Continentia cum ipso negotio sunt ea, quæ semper adfixa esse videntur ad rem, neque ab ea possunt separari. Ex his prima est breuis complexio totius negotij, quæ summam continet facti, hoc modo: Patris occisio, patriæ proditio est. Deinde causa eius summa, per quā, & quā obrem, & cuius rei causa factum sit queritur. Deinde in ipso genere negotij, quid actum sit, deinde quid postea factum sit.

Locus.

In gestione negotij, qui locus secundus erat, de his quæ negotijs sunt attributa, queritur: locus, tempus, modus, occasio, facultas. Locus consideratur, in quo res gesta sit, ex opportunitate quam videtur habuisse negotiū administrandum. Ea autem opportunitas queritur ex magnitudine, interuallo, longinquitate, ppinquitate, solitudine, celebritate, natura ipsius loci, & vicinitatis, & totius regionis. Ex his etiam attributibus, sacer, profanus: publicus, priuatus: alienus, an ipsius loci sit de quo agitur, locus sit aut fuerit. Tempus autem est id quo nunc vtimur. Nam ipsum quidem generaliter definire difficile est, pars quædam æternitatis, cum alicuius annui,

Tempus.

in aëstrui, diurni, nocturnive spaciij certa significatione. In hoc  
 & quæ præterierint cōsiderantur: & eorum ipsorū quæ pro-  
 pter vetustatem obsoleuerint, aut incredibilia videātur, vt in  
 fabularum numerum reponantur, & quæ iam diu gesta, & à  
 memoria nostra remota, tamen faciunt fidē verè tradita esse,  
 quæ eorum monumēta certa in literis extent: & quæ nuper ge-  
 sta sunt, quæ scire pleriq; possunt: & item quæ instent in præ-  
 sentia, & cum maximè fiant: & quæ consequantur: in quibus  
 potest cōsiderari quid ocysus, quid serius futurum sit. Nam sæ-  
 pe oportet cōmetiri cum tēpore negotium, & videre, potue-  
 ritne aut magnitudo negotij, aut multitudo in eo transigi tem-  
 pore. *Occasio* autem est pars temporis, habens in se alicuius  
 rei faciendæ aut nō faciendæ opportunitatem. Verum in tem-  
 pore spatium quodammodo declaratur, in occasione ad spa-  
 cium tēporis faciendi quedam opportunitas intelligitur. Hæc  
 in tria distribuitur genera, publicum, commune, singulare. Pu-  
 blicum est, quod ciuitas vniuersa aliqua de causa frequentat,  
 vt ludi, dies festus, bellum. Commune, quod accidit omnibus  
 eodem serè tempore, vt mensis, vindemia, calor, frigus. Singu-  
 lare est, quod aliqua de causa priuatim alicui solet accidere,  
 vt nuptiæ, sacrificium, funus, conuiuium. *Modus* est in quo  
 quemadmodum & quo animo factum sit queritur: cuius par-  
 tes sunt prudētia, & imprudentia. Prudentiæ autē ratio que-  
 ritur ex his quæ clā, palām, vi, persuasionē fecerit. Impruden-  
 tia autem in purgationē cōfertur. cuius partes sunt, insciētia,  
 casus, necessitas. *Facultas* sunt, aut quibus facilius aliquid  
 fit, aut sine quibus non fit. *Adiunctum* negotio autem illud  
 intelligitur, quod maius, & quod minus, & quod simile ei ne-  
 gotio de quo agitur, & quod æquè magnum, & quod contra-

rium, & quod plurimum dicitur, & quod disparatum, & genus, & pars, & euentus. Et minus, & aequè magnum, & ex vi, & ex numero, & ex figura negocij, sicut ex actu corporis consideratur. Simile autem ex specie comparabili aut conferenda atque adsimulanda natura iudicatur. Contrarium est quod positum est in genere diuerso ab eo cui contrarium dicitur. Plurimum distat, vt frigus calor, vita mors. Disparatū est autem id quod ab aliqua re propositione negationis separatur, hoc modo, sapere & non sapere. Genus est, quod partes aliquas complectitur, vt cupiditas. Pars est, quæ est sub genere: vt amor, auaritia. Euentus est exitus alicuius, in quo queri solet quid ex quaque re euenierit, eueniat, euenturum sit: vt ex arrogancia odium, ex insolentia arrogancia.

Quarta autem pars est ex his quæ negotio dicebamus attributa, consecutio. Hæ res in hac quærentur, quæ gestum negocium consequuntur. Primum factum est, quo id nomine appellari conueniat. Deinde eius facti qui sint principes & inuentores. Qui denique authoritatis eius & inuentionis comprobatores atque æmuli. Deinde quæ de ea re, aut quæ eius rei sit lex, consuetudo, pæctio, iudicium, scientia, artificium.

Deinde natura eius, vulgò euenire soleat, an insolenter & raro. Postea homines sua authoritate id cõprobare, an defendere in his consueuerunt, & cætera quæ factum aliquid similiter confestim, aut ex interuallo solent consequi. Ac negocijs ferè res hæ quas commemorauimus, sunt attributa.

F I N I S.





Destru-  
ctio, sub-  
uersio, i-  
probatio,  
anaſceue

non im-  
probā-  
da

valde ne-  
cessaria.  
prorſus in-  
credibilia.

ſed que me-  
diæ ſunt cō-  
ditionis, que  
incipitē ha-  
bēt opinionē

eos qui dixerit  
improbando,  
rei expoſitio-  
nē ſubiiciendo,  
ipſamq; cōpro-  
bando,

his par-  
tibus.

obſcuro  
incredibili  
nō cohæ-  
rente  
indecoro  
inutili.

Confir-  
matio, af-  
ſeueratio,  
cataſceue  
compro-  
batio.

aſſeue-  
randa.

que neque  
prorſus ma-  
niſeſta, ne-  
que omni-  
no fidē vt  
ſeri poſſit  
habent

ſed que me-  
diæ quodā-  
mō ſunt ge-  
neris. i. que  
incipitē ha-  
bēt opinionē

eos qui dix-  
erunt laudando,  
rem exponen-  
do, ipſam com-  
probando,

his par-  
tibus,

maniſeſto  
probabili  
poſſibili  
cohærente  
decente  
cōſerente.

Locus communis, proœmium  
non habet, ſed fingimus ali-  
quid proœmii ſimile exercē-  
di gratia.

tractatur

contrarii in quaſitione  
rei expoſitione  
cōparatione p increpationē,  
capite ſententiæ vel mentis  
exprobratione intentionis factæ  
digreſſione conſecturali  
miſeratione  
peroratione, his capitibus,

non tanquam doctō,  
ſed exaſperando.


legitimo  
iuſto  
vtili  
poſſibili  
honesto  
decenti  
deſcriptiōe  
iniuriæ.

Legiſlatio habet proœmium,  
perſonam aſſert incertam.  
Ea duplex eſt,

confirmatio poſtæ legiſ  
Cōſutatio.

Tractatur his,  
capitibus,

maniſeſto  
legitimo  
iuſto  
vtili  
poſſibili  
honesto  
decenti.





FINIS.

1956 61

1122



